

- (2.) Sunt autem minūs ingenio plerique sagaces,
qui parere tamen curant meliora monenti:
laudandos inter recte numerantur & ipsi,
(3.) Sed qui nec sapit ipse, nec audit recta monentes,
nec patitur frenos, nec legum vincula curat,
sed pronus sequitur, quō traxit cæca libido:
Hic malus, atq; odio dignus ducatur & idem,
accersit pœnas sibi tandem & tristia damnata.

Nicodemi Frisclini versio talis est

- (1.) Qui, quod agit, prudenter agit, longèq; futūrum
prospicit eventum, per se satis omnia sollers,
optimus ille virūm : (2.) Tum quisquis rectā monentis |
consiliis paret, laudem sibi comparat æquam:
(3.) At qui nec sibimet sapit, & consulta mōmentūm
respuit, hunc hominem quis possit dicere frugi?

*Adamus Theodor. Siberus sapientem Hesiodium nobis ita repræsen-
tat, allegante Weitzio in Prudent. prefat. Hamartigencie*

- (1.) Is longè optimus est, qui cuncta intelligit ipse,
quæq; futura dehinc, quæq; olim commoda cernens.
(2.) Quin etiam bonus est, qui paret recta monenti.
(3.) At qui nil sapit ipse, nec audit dicta aliena
intra cor volvens, vir prorsus inutilis hic ēst.

Augustinus Buchnerus Progr. LXI. ita reddidit

- (1.) Ipse sibi qui cuncta sapit, certe optimus ille est
usq; animo eventura & quæ meliora revolvens;
(2.) Frugi erit hic, si quis parebit recta monenti.
(3.) At qui nec sapit ipse sibi, nec dicta aliorum
auscultat, planè deperditus ille putandus.

Julii Cesaris Scaligeri int̄tricatior est sensus (lib. III. Epidorpid.)

Priscis sapientibus hic ordo stat bonorum:

- (1.) Primo statuunt limine, qui sciat docere ;

(2.) Qui